



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium IV. De misericordia Spirituali seu præcepto correptionis fraternæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

Quo ordine fit subveniendum in extrema vel communi necessitate sanguine junctorum, dicitur l. 3. p. 1. à n. 719 & 731.

DUBIUM IV.

De misericordia spiritali, seu præcepto correptionis fraternæ.

Correptio fraternæ, est admonitio, quâ quis²⁰⁸ proximum conatur revocare à peccato: De qua certum est, præceptam esse jure tum naturali, quo membra unius corporis se mutuò juvare tenentur; tum divino positivo: *Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum. Bec. 2. 2. c. 21. Laym. c. 7. Fill. Bon. p. 7.* Quæritur autem, quæ sit ejus materia, quos & quomodo obliget.

Resp. I. Omne mortale peccatum proximi per se est sufficiens materia, ut hoc præceptum obliget sub mortali. *Ita communiter.* Et ratio est, quia cum vitam spiritualement proximi tollat, sufficientem necessitatem correptionis inducit. Dixi 1. *omne mortale*: quia etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans; nec nisi facillimè possis. Dixi 2. *per se*: quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem, putet se non ita strictè obligatum, vel minùs esse idoneum ad corripiendum, videtur tantùm peccare venialiter. *Vid. S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 2. & cæteros supra cit.*

Resp. II. Præceptum hoc obligat concurrentibus his circumstantiis: 1. Si certò tibi constet de peccato proximi: indagare enim tenetur so-

lus

209. »lus Superior. 2. Si probabile fit non emendasse,
 »nec emendaturum, vel relapsurum; quia elec-
 »mosyna egenti tantum danda est. 3. Si alius æ-
 »què idoneus non adsit, qui correpturus pute-
 210. »tur. 4. Si fit spes fructus; quia desperato fine ces-
 »sant media. 5. Si fit bona occasio, locus, & tem-
 »pus opportunum, possisque sine tuo gravi da-
 220. »mno facere: Quod si horum aliquid desit, præ-
 »ceptum non obligat. Unde patet, ejus omissio-
 »nem in privatis vel nullam esse, vel levem cul-
 »pam, v. *Bon. l. c.*

» Resp. III. Et si hoc præceptum obliget omnes,
 »etiam subditos; magis tamen Prælatos. Ratio
 »prioris est, quia omnes sunt commembra, te-
 »nenturque sibi externa officia Charitatis præ-
 »stare. Ratio posterioris est, quia subditi tantum
 »ex Charitate, Prælati verò etiam ex officio, &
 »justitia tenentur: Unde peccare possunt etiam
 »graviter, veniales culpas non impediendo, si
 »vigor disciplinæ per hoc minuatur. Eademque
 »ferè est ratio de patrefamilias, præsertim erga
 »liberos. *Lay. l. c. num. 5. Palaus tr. 6. disp. 3. punct.*
 »8. num. 8. *Trul. l. 1. c. 5. d. 13. & 15. & ceteri.*

» Resp. IV. Ordo in correptione servandus est,
 »quem Christus præscripsit, *Matth. 18.* scilicet,
 »1. ut corripias in secreto; deinde coram testi-
 »bus, tum ad Prælatum Ecclesiæ five Superio-
 »rem, deferas. Excipe tamen, 1. Nisi præstet Su-
 »periori, viro probo & prudenti, quàm aliis te-
 »stibus innotescere, prout cautum est in *Regula*
 »*S. Aug.* 2. Nisi peccatum sit publicum: tunc e-
 »nim potest publicè corripiri. 3. Nisi vergat in gra-
 »ve damnum tertii aut communitatis, si Supe-
 »riori non statim innotescat, v. g. si quis prodi-
 tionem

tionem moliatur, hæresin occultè spargat, tunc enim immediatè Superiori indicandum, quia commune bonum præferendum est privato. *Fill. tr. 28. p. 1. c. 7. n. 149. & 155. 4.* Quando corripendus est contentus, ut Superiori statim significetur: ut est apud quosdam religiosos, qui quoad hoc juri suo renuntiarunt. *v. Suar. hic disp. 8. sect. 5. n. 12. & 17. Bec. Laym. Sanch. l. 6. mor. c. 18. Fill. l. c. Ex dictis resolvitur:*

I. Qui facilè potest impedire peccatum mortale proximi, & ob mali temporalis timorem negligit, peccat mortaliter. Ita *Lay. Suar. disp. 7. de correct. sect. 3. n. 5. v. Palaump. 6. n. 1. & 2.*

II. Si certò constet fratrem perfectè emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsûs, vel damni, ipsi aut alteri, non licet (etiam in Societate IESU) denunciare Patri, vel Prælato, nisi frater expressè in istam denuntiationem consentiat. *San. 2. mor. l. 6. cap. 18. n. 49. & 60. Palausp. 12. Fill. n. 157. Trul. l. 1. c. 5. d. 14. n. 15. Suar. to. 4. de relig. ca. 10. n. 11. & 12. Hurta d. 163. Sect. 2. & 5. subs. 28. & denique C. Lugo Resp. mor. l. 4. d. 46. Ubi tamen notat, in Soc. IESU casum esse rarissimum. Ratio autem est, quia cessat motivum charitatis, atque adeo ratio denunciandi: ideoque est peccatum, & quidem ut C. Lugo l. c. not. ex Suar. mortale ex genere suo. v. inf. l. 4. c. 3. d. 5. & Dia. p. 4. t. 4. R. 71.*

III. Si Superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsûs, ipsi vel alteri, vel communitati immineat, videtur peccare manifestando

stando

stando Superiori mediato delictum. *Palaut. l. c.*
Trull. d. 16. n. 1.

IV. Prælati & Magistratus tenentur aliquan-
do inquirere in subditorum peccata, ut corripi-
antur, non tamen multum & curiosè de aliquo
in particulari rogare debent, nisi is speciale ejus
signum dederit: neque facilè admittere accusa-
tores spontaneos, quia illi specie boni commu-
nis sæpe se quærunt. *Hurta, &c. Dian. p. 7. t. 3.*
R. 10. & 11.

V. Episcopi, Prælati Religiosorum, Pastores
animarum, tenentur etiam cum suo incommo-
do, imò aliquando cum vitæ periculo, adhibere
diligentiam, quam possunt, ut peccata publica
& occulta impediant, quia cum Christo pacti
sunt curam & sollicitudinem gregis, pro qua
multa ab eo bona accipiunt. *Hurt. to. 2. d. 162.*
sect. 7. §. 60. (apud Dia. R. 28.) aitque hanc esse
omnium Patrum & Theologorum doctrinam,
quam Christus verbo & exemplo docuerit, ad-
ditque idem esse de Magistratibus & Conciona-
toribus. Licet verò hi non teneantur ad id ex
justitia, (sicut Prælati & Magistratus) tenentur
tamen peccata publica corripere: (sed non fa-
cilè Prælatorum & Religiosorum, quorum au-
ctoritas ad bonum commune est necessaria)
etiamsi non sit spes emendationis. *Kon. disp. 28.*
du. 5. Hurt. Dia. R. 13.

VI. Correptio adhibenda est, non semper
statim, sed dum major fructus speratur: Hinc
interdum permitti potest reiteratio peccati, ut
ferventiùs resipiscat, *Dian. R. 29. & 30. ex Re-*
gin. Fill. n. 139. Trul. n. 8. Neque sufficit semel
esse factam correptionem, sed debet iterum

ite-

iterumque fieri, quamdiu speratur fructus. *Di-*
vi. R. 32.

A D D E N D A.

Q. 53. An aliquis teneatur corrigere proximum, 209
qui mortaliter peccavit, si non sit periculum, ut relaba-
tur. R. Affirmant Bann. Valenr. Bonac. & alii, quia
existens in mortali est in maxima miseria, ergo si
commodè possum, teneor sublevare, & per cor-
reptionem movere ad pœnitentiam: Negant Re-
gin. Sot. Lorc. Sa, Con. Torr. & alii cum Castrop. d. 3.
p. 2., partim quia proximus non censetur esse in
gravi necessitate surgendi ab illa miseria, nisi vel
prævideretur moriturus in peccato, vel inde su-
meret occasionem iterum peccandi; partim quia
ipse potest ad tempus differre pœnitentiam, er-
go non tenetur meam correctionem admittere,
ergo nec ego ad eam obligor. Utraque sententia
est probabilis, sed prima videtur conformior
præcepto Charitatis: si tamen probabiliter judi-
cem proximum vel alterius ope vel suâ sponte
quæ citò pœnitentiam facturum, non teneor
corripere, quia jam rescio eum correptione meâ
non indigere, uti rectè cum aliis Castrop. p. 6.

Q. 54. An spes fructus debeat esse certa, vel suffici- 210
at esse probabilem, ut quis teneatur corripere delin-
quentem. R. Cajet. putat debere esse certam, sed
dicendum est cum S. Thom. Castrop. p. 5 & aliis
sufficere esse probabilem, alioquin vix unquam
esset obligatio corripiendi, nam vix unquam
spes est certa, cum emendatio pendeat à libera
voluntate peccantis, quæ potest perseverare in
malo: si tamen probabiliter putes te nihil effe-
cturum per tuam correptionem, communis
senten-

sententia est te non teneri corripere, quia prudenter judicas correptionem tuam fore inutilem, nemo autem tenetur ad actionem inutilem: Quod si dubites, an correptio tua sit nocitura vel profutura, ferè omnes conveniunt omittendam esse, si timor sit nocimenti gravis, v. g. novi peccati mortalis vel novæ obstinationis: Excipiunt tamen *Suar. Bonac. Con.* & alii casum illum, in quo peccator foret in extremis, dicunt enim tunc esse adhibendam correctionem, quamvis æquale dubium esset de fructu ac nocimento, nam dubium nocimenti compensatur per spem fructûs, qui potest esse maximus; & si tum negligatur, reparari amplius non potest.

211 *Q. 55.* An ergo semper sit obligatio gravis corrip-
endi proximum, si aliàs putetur in peccato moriturus.
Bz. Bann. Valent. Bonac. & alii communius affir-
mant esse talem obligationem, etiam cum peri-
culo vitæ propriæ, quia salus æterna proximi est
præferenda vitæ propriæ temporali, uti constat
ex dubio primo: Tamen *Lorc.* aliique cum *Ca-
strop.* p. 6. dicunt, cum periculo vitæ propriæ non
esse talem obligationem, nisi quis foret Superior
proximi, quia proximus tunc non est in extrema
necessitate, cum possit se ipsum juvare, si velit,
dolendo de peccatis. *Nec obstat*, quod quivis et-
iam cum periculo vitæ teneatur baptizare pue-
rum aliàs sine baptismo moriturum, nam hoc
dato, disparitas hîc est, quia per baptismum est
certa spes, non per correptionem; baptizandus
nequit se juvare, potest hic proximus; bap-
tizandus non perit ex malitia personali, hic pec-
cans sic perit: Hæc sententia est probabilis, quam-
vis prior sit magis pia.

Q. 56.

Q. 56. Si verba non juvent, an debeat vel possit 212
proximus aliter corrigi. R. Si sit subditus, potest &
 debet à Superiore corrigi, etiam pœnis aliisque
 modis coactivis: si autem non sit subditus, etiam
 licitum erit ipsi aliquam vim amicam adhibere,
 v. g. occultare gladium, subducere pecuniam
 aliaque peccandi instrumenta, uti docent *S. An-*
toninus, Nav. Mol. Lug. de Just. d. 2. n. 33. non
 videtur tamen licitum absolutam vim inferre,
 v. g. ligare vel includere, quia hæc est excessiva
 usurpationis jurisdictionis: Excipe, nisi adesset cau-
 sa proportionata, uti si cogitaret inferre grave
 malum Reipublicæ, Superioribus vel familiæ,
 tum enim liceret, & quandoque, sed rarò, esset
 obligatio sic impediendi, ita *Lug. n. 34.*

Q. 57. An aliquando sit etiam gravis obligatio 213
corripendi solos defectus Subditorum. R. De hoc vi-
 deri potest *Lug. de Just. d. 9. à n. 21.*, hoc enim
 concernit plerumque solos Superiores Religio-
 fos.

Q. 58. An sit obligatio corripendi eum, qui ex 214
ignorantia peccat. R. Si ignorantia sit vincibilis,
 utique est obligatio, nam ignorantia illa non
 excusat à peccato: si autem ignorantia sit invin-
 cibilis, *Bonac. in Dec. d. 3. q. 4. p. 7. n. 11.* abso-
 lutè docet non esse obligationem, sive sit igno-
 rantia juris sive facti, quia tantum tenemur cor-
 rigere peccatum proximi, proximus autem tum
 non peccat: Excipit tamen ipse cum aliis omni-
 bus, nisi ex officio alicui incumbat monere & in-
 struere, v. g. quia est Pastor, Confessarius: Item,
 nisi inde oriretur damnum tertii, vel ignorantis
 ipsius, aut scandalum, aut irreverentia in Deum
 vel Religionem. Alii Authores distinguunt, si

M

enim

enim quis peccet ex ignorantia juris naturalis, omnes communiter docent te teneri corripere, quia licet proximus non peccet, actio tamen ejus est in se mala & indecens ac displicens Deo, ita *Ovi: 1. 2. t. 5. cont. 2. n. 30.*, qui ait idem communiter doceri etiam, quando quis peccaret ex ignorantia juris divini: E contra, si peccet ex ignorantia juris humani, docet *Op: cum Bann. Nav. Val. & aliis non esse obligationem corripendi*, tum quia proximus non est in gravi miseria, tum quia nihil facit intrinsecè malum, consequenter secundùm hos Auctores non teneberis admovere eum, qui ignorans die Veneris comedit carnes, aut Vesperis it cubitum oblitus orare horas; sed his omnibus probabilius contradicunt *Con: Sanch. Castrop. & alii cum Burg. cent. 3. cas. 69.* dicentes esse obligationem corripendi peccantem ex quacunque ignorantia, tum quia sic exigit reverentia legis, contra quam est illa actio vel omissio, tum etiam quia materialis transgressio legis, si non corrigatur, facilè fit formalis, aut habitum pravum inducit: discretionem tamen utendum est, nam imprudenter agit, qui inculpabiliter errantem in re nulli prorsus noxia corrigit cum non levi ejus rubore vel aliorum incommodo, & ita, inquit *Gob. in Exp. t. 3. n. 343.* male fecit ille, qui sacerdotem oblitum stolæ, de hoc defectu eum in Sacrificio ad aram monuit.

215 *Q. 59. An & quando sit obligatio denuntiandi vel deferendi aliquem. R. §. 1.* Est obligatio gravis sub pœna excommunicationis hæreticos denuntiandi apud Inquisitores Fidei, uti constat ex variis Bullis Pontificum & decretis Juris canonici apud *Castrop. t. 4. d. 3. p. 4. n. 21.*, quam obligationem

&

& pœnas innovat *Alex. VII* octavâ Julii 1660 per Bullam, *Licet aliàs*, in qua præterea gravissimè præcipit, ut omnes Religiosi, etiam leviter tantum suspecti de hæresi, statim nullâ factâ correctione fraternâ, nec re communicatâ cum Superioribus Ordinum, deferantur ad Inquisitores à Papa constitutos : & ne aliquis prætenderet ignorantiam illius decreti, mandavit illud in omnibus Collegiis & Monasteriis publico loco suspendi, ac singulis annis primâ die Martii omnibus prælegi super mensam vel in Capitulo: Et cum postea aliqui Authores dicerent, quamvis aliquis sciret alium esse hæreticum, non teneri tamen denunciare, si probare non posset esse talem, idem *Alexander* 24 Septembris 1665. inter 45: propositiones etiam damnavit hanc 5: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis* : Ex qua damnatione certum est, ubi Bullæ illæ usu receptæ sunt, esse absolutè obligationem denuntiandi secundum verba Bullarum & declarationes Pontificis. *Dixi*, ubi usu receptæ sunt, nam plures Viri prudentes & eximiè docti censent in his partibus non esse usu receptas, quò ad punctum denuntiationis, tum quia nimis multi hîc sunt hæretici, tum quia sunt satis noti, tum maximè quia vix potest sperari inde fructus, cum in plerisque locis Germaniæ sit libertas Religionis; nec tales possint coerceri vel cogi per Ecclesiasticam potestatem; Denique Papa & Inquisitores sciunt Germanos ommittere illas denuntiationes, & tamen non urgent, ergo censentur obligationem remittere: si tamen sciretur, quòd Episcopus, Parochus, Professor Theologiæ, Confessa-

rius aliusque similis esset hæreticus, & se externè tantùm fingeret Catholicum, cùm talis multùm possit præjudicare bono Ecclesiæ & animarum, esset gravis obligatio saltem ex jure naturæ talem denuntiandi apud illos, qui malum illud possent impedire.

216 §. 2. Est obligatio Inquisitoribus vel Ordinariis locorum denuntiandi illum Sacerdotem, qui in Confessione, vel occasione & quomodocumque prætextu Confessionis, aut quamvis Confessio secuta non sit, qui in Confessionali aliove loco, ubi Confessiones audiri solent, sollicitat sive fœminam sive masculum ad aliquod peccatum carnis secum vel cum alio perpetrandum, aut si ibidem cum aliquo habuerit illicitos & inhonestos sermones sive tractatus, uti post alios Pontifices severissimè & sub excommunicatione latae Sententiæ statuit *Gregorius XV.* Bulla 34. *Universi Domini gregis*, tom. 3. Bullarii. Et ut mentem Pontificis magis declararet *Alex. VII.*, damnavit has duas propositiones: 6. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus*: 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi*: Putant autem iidem Viri docti idem dicendum esse de obligatione hos denuntiandi, quod dictum est de denuntiatione hæreticorum, & testatur *Gobat* in Exp. t. 7. n. 575. & 577. decreta illa in plerisque Episcopatibus Germaniæ non esse usu recepta: additque n. 576 tantùm promulga-

ri Regularibus, hos autem se posse accommodare moribus sæcularium quò ad leges utriusque statui communes, ideoque si sæculares non obligent defectu promulgationis, etiam non obligare Religiosos. De his obligationibus denuntiandi hæreticos & sollicitantes, pro locis, in quibus vigent ea decreta, videri possunt *Dicast.* de Cens. d. 3. d. 43. & seqq: Item *Mendo* in Stat. d. 1. q. 7. & seqq:, ubi de illis fusissimè disputant.

§. 3. Quamvis aliquid habeas sub secreto naturali, nihilominus potes & debes deferre, si hoc sit necesse ad cavendum damnum commune, quia tum non obligat secretum, etiamsi sit juratum, eò quòd sit de re illicita, cum commune bonum debeat prævalere, uti habet *Dicast.* d. 41 & 42, aliique communiter cum *Castrop.* t. 6. d. 3. p. 4. n. 5. 217

§. 4. Licitum est, per se loquendo, deferre crimen occultum Religiosi ad ipsius Superiorem tanquam Patrem, non præmissâ ullâ correptione fraternâ, uti fusè docet *Op:* hinc cont. 11. p. 10. contra *Loricam*. Potest tamen & debet meritò præmitti correptio fraternâ, si sit spes prudens, quòd sit habitura effectum, quia sic consulitur famæ, & sufficit fratrem corrigere uno modo sufficiente, licèt non optimo; quomodo autem Superior cum subdito sic delato procedere possit, videri potest apud *Ovied.* p. 11. An licitum sit deferre crimen emendatum, dicitur l. 3. p. 2. n. 1199. 218

§. 5. Non semper est obligatio impediendi damnum innocentis per denuntiationem illius, qui damnum infert, si hic pati deberet æquale damnum, 219

damnum, quia cum etiam hic fit proximus, non est, unde nascatur obligatio hunc ita damnificandi in gratiam alterius, ita *Cordub. Adri: Gabriel, Suar. de Cens. d. 46. f. 3. Pertsch: de restit. pag. 302. Dixi*, non semper, nam est obligatio, si innocens tibi sit valde conjunctus, y. g. si sit Pater vel Filius tuus, aut si redundaret in commune damnum, aut si damnificator ex se debeat damnum illud subire ad liberandum innocentem.

120 *Q. 60. Quale detrimentum, vel cuius emolumentum amissio excuset à correptione fraterna. R. Lug. de Just. d. 20. n. 139* sic fermè discurret; licet correctio fraterna non obliget cum magno detrimento proprio, quando proximus, si velit, potest ipse facile vitare peccatum, hoc tamen intelligendum puto de damno extrinseco, quod ex correctione proveniet corrigenti in iis bonis, quæ aliunde habet vel haberet independenter à peccato ipso per proximum committendo: Unde non excusaris à correctione propter periculum amittendi lucri, quod ex ipso peccato proveniret, v. g. Pater tuus, homo avarus, non vult succurrere extremè egeno, faceret autem, si tu eum admoneres, peccas, si non admoneas, etiam si ita privandus sis magnâ summâ egeno illi dandâ & alioquin tibi obventurâ per hæreditatem: similiter si, ut aliquid accipias per Legatum vel donationem, omittas correctionem debitoris, & finas eum peccare non solvendo, quod peccatum facile posses impedire, monendo ut debitis satisfaceret, peccas si non moneas, & re ipsa censeris velle peccatum, quia taces ex affectu solo lucri, quod tibi non adveniet, nisi mediante peccato,

peccato, adeoque videris desiderare peccatum ipsum; Si tamen crederes proximum ex ignorantia inculpabili excusari à peccato, putat *Lug:* te in his casibus non teneri corripere, quia non est in periculo peccandi, & aliunde non videris teneri cum tanto damno tuo impedire violationem illam materiale[m] Justitiæ, ad quam, ut supponitur, tu nullo modo prorsus concurris. De excusatione propter damnum, videri potest etiam *Dicast. de Cens. d. 3. n. 790 & seqq:* item *Tamb. l. 5. c. 1. §. 3.*

DUBIUM V.

De Scandalo.

ARTICULUS I.

Quid, quotuplex sit & quale peccatum.

Resp. I. Scandalum, dicitur peccatum occasionatum, & est duplex: Activum & Passivum. Activum est, dictum vel factum (quo nomine etiam ommissio intelligitur) minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Ex *S. Th. 2. 2. q. 43. art. 1. Sanch. Azor. Lay. l. 2. t. 3. c. 13. Bon. to. 2. d. 2. q. 4. p. 2. Dixi, minus rectum, hoc est, quod vel in se malum sit, ut si loquaris turpia coram adolescente, vel mali speciem habeat, ut si justa de causa coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito.* 221